quando mulier abducta consentiat, licet Parentes fuerint inviti, eo quia non est propriè raptus, de quo Jura loquuntur, maximè quia servatur libertas matrimonii.

130 Neque ullatenus in hoc casu vis etiam interprætativa considerari potest, dum nec suasionibus, neque promissis, neque muneribus, neque precibus, ipsa Monialis fuit à Milite abducta, quin potius è contra, ipsa precibus, & muneribus Militē traxit ad se assotiandum, unde nulla prorsus malitia raptus in facto potuit inveniri, ut ex processu offensivo colligitur.

131 In hoc ergo casu maxima habita est disputatio in Congregatione ad Criminalia; & pluries causa proposita, vota fuerunt discordantia, ut vel pro majori numero, vel pro æquali saltem fuerint vota, non intrare pœnam ordinariam, & tandem prudentissimus Princeps requisitis à peritioribus Criminalistis de Urbe votis, hæc concorditer concluserunt, intrare solùm pœnam extraordinariam; undè Miles damnatus fuit ad triremes perpetuas; Monialis verò, quæ consultatione maturiori habita cùm propria conscientia, cessavit ab instantia probandi nullitatem suæ professionis, ad Carcerem perpetuum damnata in suo Convertitarum Conventu fuit detrusa.

De Negligentia Notariorum.

SUMMARIA.

1 *Notarius tenetur scire quæ ad suam artem spectant,*

2 *Ideò de omissis ex ignorantia teneretur ad damna, & interesse.*

3 *Omissio signi Notariatus multa potest parere incommoda, ita, & omissio eorum quæ sunt de substantia actus.*

4 *Secus de omissione eorum, quæ non sunt de substantia actus.*

5 *Ideo in casibus practicis debent consulere peritiores.*

6 *Ac propterea quidquid omitteret, ut læderet partes, seu partem, illum condemnat de Jure ad damna, & interesse.*

7 *Si in Juditio ex imperitia, aut negligentia acceptet fidejussorem minus Idoneum, non citata parte, teneretur ipse Notarius ad interesse partis.*

8 *Notarius omitens clausulas solitas, aut aliquid, quod erat notandum, præsumitur in dolo, & culpa lata.*

9 *Quæ scribit Notarius præsumitur scribere de mente partium, at omittens, quæ erant scribenda, non præsumitur omisisse de mente partium, sed contra earum intentionem.*

10 *Limita si Notariùs protestetur partibus de sua insufficientia, & imperitia.*

11 *Quando possit Notarius emendare neglecta addendo ex se absque decreto Judicis, vel consensu partium.*

12 *Aliqua potest Notarius corrigere per se, si nondum relevaverit Instrumentum, aut testamentum, secus post copiam parti relevatam.*

13 *Si orta sit quæstio inter partes de omissis, non potest Notarius quidquam addere nisi parte citata, & ex decreto Judicis.*

14 *Casu quo instrumentum redargueretur de falso, non corrigitur, sed Notarius venit puniendus, & officio privandus.*

15 *Unde constituitur regula, quod Notarius non possit ex se addere omissa.*

16 *Primò fallit regula, quando addendo nulli noceret.*

17 *Secundò fallit, si incontinenti, & præsentibus, ac consentientibus partibus fieret additio; præsentibus etiam testibus.*

18 *Tertiò fallit, addendo indictionem omissam, quia per diem, & annum notatum colligitur Indictio Romana.*

19 *An possit corrigere diem omissum, vel male appositum, est dissensio inter scribentes.*

20 *Sed certum est non posse, quoties orta esset quæstio de die omisso, vel male apposito.*

21 *Posse addere clausulas consuetas apponi de stilo Notariorum.*

22 *Intelliguntur prædicta de Notario addente suis rogitibus alterius Notarii, quos haberet apud se.*

23 *Ex decreto tamen Judicis parte citata, tunc & alienis rogitibus posset addere.*

24 *Data aliqua omissione, præsumitur potius error, quam dolus Notarii, quoties ageretur ad pœnam.*

25 *Ni-*

25 *Nisi Notarius esset malæ qualitatis, & malæ famæ, aut constaret de sua imperitia, quod remittitur arbitrio Judicis.*

26 *Et quando arbitrio Judicis veniret puniendus propter dolum præsumptum, tunc non pœna ordinaria, sed extraordinaria.*

27 *Tenetur Notarius diligenter custodire protoculum, illud ad partium requisitionem exhibere.*

28 *Qui destinavit, seu elegit Notarium ad aliquod officium sciens illius imperitiam, tenetur de neglectis, & omissis per Notarium; secus si Notarius erat peritus, & cognitus pro Idoneo.*

29 *Substituentes Notarium loco sui in offitio, vel aliquo actu, tenetur pro eo tàm de malè factis, quàm de omissis.*

30 *Notarius tenetur officium suum impertire pauperibus extremè indigentibus gratis, vel ex Justitia, vel ex misericordia.*

31 *Negligentia Notarii in non registrando Instrumento, vel testamento, non debet nocere parti.*

32 *Dum acta sunt transportanda post appellationem, tenetur Notarius infra mensem copiam exhibere recepta competenti mercede, alias negligens potest puniri si malitiosè omittat, si verò sine malitia, ei per Judicem assignatur terminus infra quem sub pœna.*

33 *Quod intelligitur de omnibus, quæ re vera sunt in actis, & de actis, secus si non sint de actis, vel non sint in actis, ut de Verbaliter tantùm productis.*

ARTICULUS XXVIIII.

De Negligentia Notariorum.

1 QUamquam Notarius non teneatur esse Doctor, & jure omnia scire ad tradita per *Speculat. in tit. de Instrum. edit. §. restat colum. penult. V. sed nunquid tabellio.*, tenetur tamen scire quæ faciunt ad artem, & officium Notarii, *Abbas in c. 1. num. 7. de fide Instrum.*, ubi, & *Decius num. 66.*, *Bertazol. de Claus. Instrum. Proemio num. 1.*

2 Ex quo sequitur, quod omittens, vel ex ignorantia, vel ex malitia aliquid, propter quod aliqua pars damnum sentiat, teneatur ad interesse parti, *l. fin. C. de Magistr. conveniend.*, & est bonus *tex. in l. fin. in fine ff. si mensor fals. mod. dix.*, *Menoch. cons. 17. num. 2.*; *Nellus à S. Gemin. in tract. de testibus 162.*; Negligentia namque Notarii non debet officere parti, *Seraphin. decis. 1115. num. 5.*, & *coram Dunozzeto in Tolletana pension. lunæ 15. Januarii 1646. nu. 14.*, *Burat. decis. 10. num. 6. 7.*, & *decis. 780. n. 4.*, *Farinac. qq. crim. 156. num. 27.*, & *97. Sylvester V. Tabellio q. 8.*, *Bertazol. loco citato* etiam notat, quod minor ætas in tali casu Notarium non excusaret, & *decis. d. cap. 1. num. 67. de fide instrum.*, quod benè considerandum notavit *idem Bertazol.*, quia multa, & gravia damna sequuntur ex imperitia, & omissione Notariorum, immò & totum Mundum destrui, *Durant. de arte testandi tit. 6. cautell. 39. num. 1. post medium*, *Rubeus in addit. ad decis. 16. nu. 31. p. 3. recen.*, nam sicuti additio unius dictionis (&) potest multa parere incommoda, cum copulet plura quæ nequeant copulari, aut partes non intendunt copulari, ità ex omissione ejusdem dictionis, &, multa possunt sequi damna, & incōmoda, dum disiunguntur ea, quæ erant copulanda.

3 Ità omissio signi in Instrumento magnum parit incommodum, dum parit nullitatem, de quo latè idem *Bertazol.* supra *n. 13.*, regulariter quando omissio contingit in eo, quod est de forma, aut de substantia, tunc negligentia, & omissio Notarii nocet, nec ignorantia, aut alia ex causa excusatur, sed tenetur parti ad damna, aut interesse, ad notata per *Felin. in c. ex litteris num. 10. Vers. quarta declaratio de fide Instrumentorum.*

4 Si verò omissio sit in solemnitate minima, tunc negligentia Notarii parum, aut vix consideratur, quia talis omissio non nocet, nec obesse potest ad latè tradita per *Vivium comm. opin. lib. 2. opin. 501.*, Notarius aliquid de substantia omittendo incidit in

pœnam